



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XXXII. De Acceptione Personarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

CAPVT TRIGESIMVMSECVDVM.

De acceptione personarum.

Habet 4. Dubitationes.

D. Thomas q. 63.

DUBITATIO PRIMA.

Quid sit acceptio personarum, & quale peccatum.

Dico Primò, Acceptio personarum (Græcè αποπροσωπία, quod nomen non minùs rectè potuisset veri acceptionis vultus vel facies, ut passim ex Hebræo constat) generatim iuxta modum loquendi Scripturæ dicitur, quando in aliqua distributione non respicitur causa, sed persona; id est, aliqua personæ conditio nihil ad prædictam distributionem faciens, ob quam is, qui minùs dignus est, præfertur digniori: ut si quis Prælatu beneficiis, officia, vel ordines sacros, omisiss dignioribus, conferat indignis, vel minùs dignis, quia amici, consanguinei, diuites. si Iudex sententiam ferat pro amico, non pro eo qui ius habet. Itaque duo propriè ad hoc vitium requiruntur. Primò, Ut bona, quæ distribuuntur, sint aliquo modo communia, saltem destinatione eius qui illa distribuit: ut si quis ludos institueret propositis præmijs, & ea distribuere postea non victoribus, sed amicis suis, diceretur acceptor personarum. Secundò, Ut in distribuendo spectetur aliqua conditio personæ, nihil ad distributionem faciens, ob quam indignior præfertur digniori. Hinc patet, apud Deum non esse acceptionem personarum, etsi dona sua neque omnibus, neque æqualiter inter homines distribuatur. Primò, Quia acceptio personarum locum non habet, dum quis bona sua propria, ad quæ illi, quibus fit distributio, nullum ius habent, distribuit. Secundò, Deus in hac distributione non præfert indignum digno, ob aliquam conditionem in homine existentem, quæ nihil ad distributionem faciat, etsi enim interdum minùs dignos maioribus auxilijs præueniat, id facit ob iustissimas causas, nempe ut ostendat se gratis dare, & nemini se esse debitorem horum donorum. Tertio, Quia omnibus auxilia prima salutis imperit prout fert conditio cuiusque, & quemque iuvat ad vltiora, saltem quatenus se ille per priora auxilia disponit & idoneum reddit. Hinc Actor. 10. cum Petrus cognouisset, Corneliam gentilem cum familia ad fidem Christi vocari, dixit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi.* vbi insinuat, potuisse videri acceptionem personarum apud Deum, si solis Iudæis, non etiam Gentibus eum timentibus & iustitiam operantibus, fidem in Christum contulisset, cum enim Cornelius se per priora auxilia idoneum & dignum fecisset hoc dono, & Iudæi plerique essent indigni, debebat etiam ipsi conferri: alioquin visus fuisset Deus acceptor

personarum: nam visus fuisset Iudæos minùs dignos præferre Gentibus dignis, idcirco tantum quòd Iudæi essent; & pluris valuisset apud Deum in dono fidei conferendo, esse Iudæum, quam Deum timere, & mandata eius obseruare, in Gentibus. hæc tamen acceptio personarum non fuisset contra iustitiam: quia Gentes ad Christi fidem ius non habebat, ut probat Apostolus ad Rom. 15. Simili modo Apostolus ad Rom. 2. dicit, *apud Deum non esse acceptionem personarum*, eò quòd cuique, siue Iudæo siue Græco, reddet secundum opera sua. vnde insinuat, si Iudæis malè operantibus parceret, quia Iudæi; Gentibus autem malè operantibus non parceret; vel si Iudæos benè operantes remuneraret, Gentes non remuneraret, fore acceptionem personarum: etsi in parcendo his, non illis, non esset iniustitia.

Dico Secundò, Acceptio personarum ex genere suo est peccatum mortiferum, quia fit cum iniuria proximi: ratione tamen exiguitatis materiæ potest esse peccatum veniale: ut si in re parui momenti (v. g. in loco acumbendi ad mensam) præferatur minùs dignus digniori; vel si non sit magnum discrimen inter minùs dignum & digniorem.

4
Quale peccatum.

DUBITATIO II.

In quorum bonorum distributione potissimum locum habeat acceptio personarum.

Respondeo, Primò In distributione Iuris, quam facit Iudex, dum partibus Ius dicit; ut docet D. Thomas qu. 63. art. 4. etsi enim Ius dicere sit actus Iustitiæ commutatiuæ, quatenus ex officio est debitum; tamen quatenus fit inter duos, habet modum Iustitiæ distributiue. Ius enim suo modo est quoddam bonum commune distribuendum partibus. In huius igitur distributione, si Iudex aliquid respiciat præter causarum merita, committit hoc vitium acceptionis personarum: quod sæpè ei prohibetur in Scripturis; Leuit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultuum potentis: iuste iudica proximo tuo.* Item Proverb. 18. *Accipere personam in iudicio non est bonum*, id est, nihil habet boni, valdè est malum.

Vbi Aduerte, non tantum esse vitium acceptionis personarum, quando Iudex in ferenda sententia considerat personam potius quam æquitatem causæ; sed etiam quando causas pauperum differt & extrahit, causas autem diuitum expedit. Similiter quando vni parti concedit longiorem termi-

5
In Iure dicundo.

num ad probandum vel informandum quam alteri, cum tamen par sit utriusque ratio.

⁶ *Obiectio.* Dices, Iudicis arbitrio relinquitur ut terminos probationum constituat; ergo non facit iniuriam parti, si amico concedat longiorem.

Respondeo, Relinquitur arbitrio eius ut constituat terminos longiores vel breuiores, prout expediens visum fuerit, & causa postulauerit: non autem ut pro sua libidine & gratificandi studio vni possit concedere terminum longiorem quam alteri, maxime cum notabili incommodo partis: nam hoc concessum est Iudicibus in gratiam utriusque partis.

⁷ *2. In conferendis beneficijs.* Secundò, Locum habet in collatione beneficiorum, & in electione & presentatione ad illa. beneficia enim iure naturali & positio debent conferri dignioribus, id est, qui optime putantur officio functuri. vnde si consanguinitas, amicitia, vel simile quiddam nihil ad officium pertinens, in electione, presentatione vel collatione spectetur, ommissis dignioribus, committitur vitium acceptionis personarum. Vide D. Thomam art. 2. Sed de hoc plura infra cap. 34. dub. 13.

3. In officijs secularibus. Tertio, In conferendis officijs secularibus, ut in officio Consulibus, Prætoribus, Senatoribus, Consularij, Quæstoribus, & similibus: hæc enim sunt bona quædam communia Reipubl. instituta ad ipsius commodum, quorum distributio pertinet ad Principem. vnde tenetur iure naturæ ea maxime idoneis & Reipubl. vtilibus conferre.

4. In vestigalibus. Quarto, Locum habet in oneribus distribuendis; hæc enim iusta proportione distribui debent, ne pauperes magis grauentur quam diuites; vt cap. 33. dicitur de vestigalibus.

⁸ *5. In honore.* Quintò, In exhibendo honore seu reuerentia: vt si quis in publico consensu aut in mensa alicui non assignet locum, qui ei ratione eruditionis vel gradus debetur. debet tamen id fieri dolo vel lata culpa: alioquin non censetur iniuria.

⁹ *Cur honor debitus.* Notandum est, Titulum, ob quem alicui debetur honor, esse excellentiam naturæ rationali congruentem; quæ consistit in sapientia, virtute, & potentia: nullæ enim aliæ perfectiones reddunt naturam rationalem excellentem & honore dignam.

Vnde maxime honorandi, Primò, Homines sapientia & sanctitate præditi.

Secundò, Qui potentia præstant; vt Principes, quia diuinæ potentia sunt participes; & parentes, quia post Deum sunt nobis principium naturæ.

Tertio, Senes, quia senium est signum prudentiæ & virtutis.

Quarto, Diuites, quatenus diuitiæ sunt instrumentum virtutis, dum ad multa bona opera facultatem præbent. Quod si diuitiæ per se considerentur, nullo honore dignæ sunt; quia per se nullam excellentiam habent, qua naturam rationalem ornent, cum ex rebus infimis consistant. vnde si quis diuiti propter illas (quasi illæ per se aliquid magni sint) honorem, præ alijs virtute aut scientia claris, exhibeat, committit vitium acceptionis personarum: nam in honore distribuendo non spectabitur causa, sed persona, cum iniuria quadam probitatis & sapientiæ.

¹⁰ *Dupliciter diuites honorantur.* Aduerte tamen, dupliciter posse diuites ob diuitias præcisè consideratas honorari. Primò, Si solum exterius honorantur ob receptam consue-

tudinem, sine tamen interiori æstimatione & reuerentia erga diuitias; & hoc modo non est peccatum, si fiat sine cuiusquam iniuria: quia externa illa consuetudo non est per se mala. Secundò, Si fiat ex interiori quadam æstimatione, qua diuitiæ secundum se præferantur, vel exæquantur virtuti; & sic est peccatum acceptionis personarum, quod reprehendit D. Iacobus cap. 2. suæ Epistolæ, cum ait: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESU CHRISTI gloria. etenim si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens, in veste candida, &c.* vbi docet esse peccatum acceptionis, talem præferre fidei pauperi ob nudas diuitias, & fieri potest vt sit mortale; vt si fiat cum notabili alterius contemptu vel iniuria; alioquin est solum veniale.

Dices, Videtur semper esse mortale; quia præferre diuitias virtuti, easque pluris æstimare, videtur esse peccatum mortale; tum quia est magnus contemptus virtutis, tum quia talis videtur esse paratus deferere virtutem propter diuitias.

Respondeo, Si expressè & cum plena animaduersione diuitiæ præferantur vel exæquantur virtuti, sine dubio erit peccatum mortale, ob rationem allatam; sed regulariter non ita fit: nam hæc comparatio non fit expressè & formaliter, seu vt dici solet, in actu signato; sed solum implicite seu interpretatiuè, ipso exercitio. solæ enim diuitiæ versantur ob oculos, & magni æstimantur, & relictæ virtutis consideratione honorantur.

Dices Secundò, Honoris exhibitio pertinet ad obseruantiam, non ad Iustitiam distributiuam: ergo acceptio personarum in ea locum non habet.

Respondeo Negando consequentiam; quia vbiicumque est aliqua distributio rerum aliquo modo debeat inter plures, ibi suo modo locum habet acceptio personarum, etiam si talis distributio non sit propriè actus Iustitiæ distributiua; vt patet in Iure dicundo.

Dici etiam potest, Exhibitionem honoris, quatenus respicit debitum singulorum virtuti seorsim, absque comparatione ad virtutem aliorum, pertinere ad obseruantiam: quatenus verò immediate respicit debitum proportioni, nimirum vt honor exhibitus respondeat proportioni, quæ est inter virtutem multorum, sic pertinere ad Iustitiam distributiuam: quia Iustitiæ distributiua seruat formam.

DVBITATIO III.

Vtrum illi qui conferunt officia secularia, peccent mortiferè peccato acceptionis personarum, si non eligant dignissimos quosque.

¹³ *Assumens in dignum, tenetur.* Respondeo & Dico Primò, Eos, qui assumunt ad officia secularia (v.g. ad officium Gubernatoris oppidi vel arcis, Prætoris, Iudicis, Capitanei, Secretarij, Commissarij, Quæstoris & similia) ineptos, aut qui malè putantur administraturi, peccare mortiferè, & teneri Reipubl. ad faciendam damna inde secuta. est communis sententia DD. Probatur Primò, Quia qui hæc officia conferunt, vel conferunt ea ex debito sui officij, vt Principes & Gubernatores; vel ex horum commissione. Si conferunt ex officij debito, tenentur lege iustitiæ procu-

procurare Reipub. ministros idoneos: nam officium ipsorum obligat ipsos lege iustitiæ erga Rempub. cum propter illud stipendia & tributa accipiant. sicut œconomus, cui gubernatio domus commissa est, tenetur ex officio (ac proinde ex iustitia) conducere famulos & operarios idoneos. Si ex commissione, tenentur similiter ex iustitia: quia qui ex commissione facit, non minus tenetur, quam is qui commissionem dedit: nam hoc ipso, quo commissionem seu mandatum acceptat, seipsum obligat ad ritè exequendum. Secundò, Principes & Gubernatores tenentur ex iustitia Rempub. ritè administrare, & quantum commodè possunt eius damna impedire: atqui hoc facere non possunt, nisi idoneis ministris & officialibus utantur: nam plerique per hos exequenda sunt: ergo si ineptos adhibeant, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem damni secuti. qui enim causam damni dat, damnum dedisse videtur.

14 Dices, Et si modò non sint idonei, speratur tamen aliquando valdè idoneos fore: ergo saltem poterunt talibus conferri.

Resp. Id posse interdum locum habere tranquillâ Republicâ, dum officium per Vicarium administrari commodè potest, & aliæ iustæ causæ, cur ita fiat, ad sunt. Secus est quando Respub. est turbata, & præsentem opem virorum aptissimorum, tum in politica, tum in militia flagitat.

Hinc patet, eos, qui constituunt Quæstores seu Receptores, quos sciunt malignè solvere, & tergiversando munera extorquere à creditoribus, tenentur rependere damna, quæ creditores per tales Quæstores incurrunt; si ipsimet Quæstores (qui proxima causa sunt) non restituant.

15 *Assumens minus idoneum.*
Dico Secundò, Qui omnis aptioribus assumit minus idoneos, peccat quidem & sæpe mortiferè, non tamen tenetur ad restitutionem, si illi verè idonei erant. Colligitur ex Soto l. 3. de Iustitia q. 6. art. 4. & apertè docet Michaël Salon. qu. 63. art. 2. Petrus Arragonius eodem loco, qui pro eadem sententia citat Didacum Perezium.

Quòd peccet. Probatur Primò, Quia iniuriam quamdam facit digniori, præferendo ei minus dignum: maius enim ius habet, qui est aptior. hæc tamen iniuria non est contra Iustitiam commutativam, ac proinde non obligat ad restitutionem; sed tantum contra Iustitiam distributivam, cuius ius consistit solum in maiore aptitudine & proportionem ad bonum distribuendum.

Secundò, Quia plerumque nascuntur graves offensiones & alienationes subditorum à Superioribus, ob huiusmodi collationes. quæ interdum sunt causa multorum malorum: vt cum vident negligi eos, qui in fide & obsequio Principis perstiterunt, & exilia sunt perPELLI; promoveri autem, qui partis aduersæ fautores fuerunt.

Tertiò, Quia constituendo ministros minus idoneos, quando aptiores non desunt, facit contra fidelitatem, quam debet Reip. tenetur enim saltem ex fidelitate, procurare ministros quam maximè idoneos, si potest: sicuti œconomus, si fideliter officium suum præstare velit, tenetur cōducere operarios & ministros domino suo quam maximè idoneos, quantum commodè potest. vnde sicut œconomus grauitè peccaret contra fidem ex officio debitam domino suo, si in conducendis operarijs solum spectaret vt suos amicos promoveret, reiectis alijs, qui longè plus prodesse dō-

mino; ita illi, qui officia Reip. conferunt, grauitè peccant, si promoueant eos tantum, qui sanguine vel amicitia ipsis iuncti sunt, vel munera obtulerunt, vel priuatis ipsorum intentionibus melius seruiunt; præteritis alijs longè aptioribus: quia peccant in Rempub. præferentes commoda priuata utilitati communi, contra fidem Reip. datam.

Vbi Aduerte, eum, qui aliquam administrationem suscepit, videri se tacitè ad duo obligare. Primò, Ad curadum vt suâ negligentia nullum damnum detur; & ad hoc se obligat lege iustitiæ, ita vt teneatur ad restitutionem, si non præstiterit. Secundò, Quòd promouebit commoda eius, cui per officium seruit, in omnibus, quantum commodè poterit: seu quòd officium quam optimè administrabit. et si enim qui officium instituit, non obliget alterum ad diligentiam extraordinariam, sed solum ad communem; (qualem alij eiusdem conditionis præstare solent) tamen mens eius est, vt officium, quantum commodè fieri poterit, quam optimè administraretur, & hoc ipsum censetur aliquo modo promittere qui officium acceptat. nemo enim vellet conducere operarium vel famulum, quem alia mente esse putaret. Verùm hæc obligatio, qua parte se extendit ad optimum modum, non censetur esse ex iustitia, ita vt inducat necessitatè restitutionis, si non omnia optimè præstita fuerint; (modò damnum datum non sit, nec aliquid, quod ex officio erat necessariò faciendum, prætermisum) sed solum ex fidelitate, absque obligatione restitutionis. Non enim satis fideliter dicitur officium peregrisse, qui aliqua domini sui commoda, quæ facili negotio potuisset curare, prætermisit; sicut exemplo œconomi, qui prætermisit optimis operarijs, conducit mediocres, sibi amicitia deuinctos, ostensum est. Principes igitur & alij, qui vel ex officio vel ex commissione conferunt minora officia Reipublicæ, tenentur ex fidelitate, quam Reipub. debent, conferre ea maximè idoneis, quantum commodè poterunt: alioquin erunt infideles Reipublicæ; quæ infidelitas dignis in re magni momenti potest esse peccatum mortale, & meretur puniri in subditis priuatione officij & multâ pecuniariâ.

Confirmatur, Quia mens Reip. & ipsius Principis est, vt officia conferantur dignissimis; & cum tali onere permittit quædam conferri à supremis suis officialibus, vel à Gubernatoribus oppidorum, vel à præfectis militum in militia: ergo hi omnes tenentur conferre maximè idoneis; id est, ijs, qui optimè putantur functuri: alioquin peccant in re graui contra fidem, quam Principi & Reip. debent; & merentur puniri, quia grauissima mala consequuntur, ex eo quòd non detur opera, vt officijs publicis applicentur aptissimi: dum enim satis est collatori, illum, cui vult conferre, videri utcumque idoneum, sæpè fit vt fallatur, sitque ineptus, vel certè prauus & malè administraturus: quo fit vt peruertatur iustitia, & omnia per munera & extorsiones gerantur. Itaque in re tanti momenti & periculi, tenentur Superiores dare operam sub peccato mortali, vt quam maximè idoneis conferantur.

Denique nisi in officijs conferendis summa cura adhibeatur, sensim Respub. impletur ministris atheis, politicis, ambiciosis, auaritis, qui sua, & suos dumtaxat curent & promoueant, commune bonum negligant, omnia ad priuatas quasdam suas

16
In officio duplex obligatio.

17
Tenentur ex fidelitate conferre dignissimis ex iustitia dignis.

18

intentiones dirigant; qui ius & fas, iustitiam & religionem auro venalem habeant; ex quibus nihil aliud quam eversio religionis & iustitiæ expectari possit.

19 Quales autem esse debeant, qui constituuntur officiales in Rep. breuiter insinuat Iethro sacer Moyfis Exod. 18. *Prouide, inquit, de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui odierint auaritiā, & constituue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Vbi notantur quatuor conditiones, quas Principes in conferendis officijs debent habere præ oculis, teste Caiet. Prima est, *Vt sint potentes*, id est sapientia, industria, & strenuitate idonei, vt rectè Caiet. explicans illum locum. Secunda, *timentes Deum*, nihil enim ita compellit hominem iuste agere, vt timor Dei, vbique præsentis & omnia intuentis. vnde alibi Scriptura ait, *Qui timet Deum, faciet bona.* & *Qui sine timore est, non poterit iustificari*, quare nec iuste agere. Tertia, in quibus sit *veritas*, id est, qui neminem decipiant, sed faciant quod promiserunt, & quod legibus præscriptum est. Quarta, *odierint auaritiā*, id est, qui non studeant opibus accumulandis; & multò minus munera accipiant. hic est enim maximus iustitiæ scopulus.

Quatuor conditiones requisitæ in ijs qui præsent.

20 Ex his patet, præcipuum munus Principis esse, curare vt quàm maximè idoneos ministros habeat: hinc enim totum Reipub. bonum dependet, cum per hos omnia administrantur. Itaq; peccatum mortiferum erit si id negligat. Non tamen tenebitur ad restitutionem, nisi in particulari constet aliquem ineptum adhibitum: quia aliàs non censetur causam damni contra obligationem iustitiæ dedisse.

Præcipuum munus Principis.

21 Notandum tamen Primò, quando Princeps aduerterit, sensim multos abusus irrepere, teneri lege iustitiæ obuiam ire; ac proinde eos adhibere, qui talibus incommodis possint mederi. Itaque cum ijs, qui aliàs possent videri idonei, hoc statuerum non sint idonei, non potest eos applicare: debent enim esse idonei pro statu præsent.

22 Notandum Secundò, Ea, quæ diximus, maximè intelligenda esse de officijs maioris momenti, vt sunt omnia, quæ coniunctam habent iurisdictionem, vel à quibus multum pendet in Repub. vt officium Præsidis, Secretarij, Consiliarij, Thesaurarij, & similia. Si autem officium non sit tale, non erit peccatum mortale, saltem in supremo Principe, conferre minus digno; modò tamen verè sit idoneus. Idem dicendum, si non sit inter eos magnum discrimen aptitudinis, ita vt hic non putetur notabiliter minus benè functurus munere, quàm ille, cui præfertur. vnde diximus in propositione, *sæpe peccare mortiferè, non semper.* Verùm de his plura infra cap. 34. De beneficijs.

23 Notandum Tertio, Caietanum v. Electio officialis, putare non esse peccatum mortale, prætermittere digniorem: quia, inquit, non video hic acceptationem personarum, nec video hic habere locum iustitiæ distributiua; cum officium hoc non detur ciui, vt parti communitatis. Sed hæc ratio nullius est momenti, etsi enim non peccetur mortiferè ob iniuriam factam digniori; (quia nullum ius strictum ad illud officium habet, sicut is qui electus est aut præsentatus) peccatur tamen ob iniuriam vel infidelitatem in Reipub. Deinde falsum est, iustitiæ distributiua; hic locum non habere: quia pleraque officia non possunt dari nisi

Sententia Caietani.

Refutatur.

subditis. Denique etsi possint interdum dari extraneo; tamen si velit dare subito, debet dare maximè idoneo: is enim maius ius habet in distributione; quamuis violatio huius iuris non sit semper peccatum mortale, vt supra diximus.

DUBITATIO IV.

Vtrum officia secularia possint vendi.

Notandum, in officio sæculari quinque considerari posse. Primum est, Obligatio ad certas functiones, quæ propriè vocatur officium, & est fundamentum ceterorum. Secundum, iustum stipendium, vel ius ad tale stipendium, quod ius oritur ex officio. Tertium est, Dignitas quædam & eminentia, ob quam in Republica honoratur. Quartum, Occasio lucrandi. Quintum, Excessus stipendij supra debitum. Nunc

Respondeo & Dico Primò, Officia sæcularia ratione primi & secundi vendi non possunt; ratione tamen reliquorum trium vendi possunt; ac proinde non est per se illicitum talia officia vendere. Prior pars patet, quia nemo potest mihi vendere onus, quod mihi ipsi subeundum est: hoc enim quisque potius operat redimere & excutere, quàm emere & accerere, neque etiam potest mihi vendere iustum stipendium illi oneri annexum; quia hoc ex iustitia debitum est ei qui onus subit. Confirmatur vtrumque; quia nemo potest operario vendere obligationem laborandi in horto suo, aut iustum stipendium labori illius debitum.

Altera pars probatur Primò, Nam eminentia illa magni æstimatur apud homines, & pecuniâ comparari solet. longè enim plurijs veniunt domina, quæ habent annexos maiores titulos dignitatum. similiter occasio & commoditas lucrandi magni æstimatur. qualis est in officijs, quibus cõpetit pars confirmationis vel iustæ prædæ, vt in quibusdam officijs Curie Romanæ. Denique si stipendium excedat operam & industriam officij, ille excessus æstimari potest, maximè ab ipso Principe, qui potest eum ab officio separare: si ergo relinquatur, potest exigi compensatio.

Probatur Secundò, Quia hæc omnia sunt res humane, non spirituales, & pretio æstimari solent: ergo nihil obstat quin per se vendi possint. secus est de beneficijs, quæ sunt res spirituales.

Tertio, Quia Barones, Comites, Marchiones & Duces possunt vendere suos titulos & status; vt recepta consuetudo probat: ergo officiorum sæcularium venditio per se non est illicita.

Dico Secundò, Etsi per se non sit illicitum hæc officia vendere, tamen ob multa incommoda, quæ inde sequi solent, plerumque est illicitum & etiam perniciosum, maximè si aliquam iustitiæ administrationem habeant. est communis Doctorum. vide Caietanum v. Officiorum venalitas. Sotum lib. 3. quæst. 6. art. 4. Nauarr. cap. 25. num. 7. Probatur, quia hinc plerumque solent sequi hæc incommoda. Primò, Quod non conferantur dignioribus, imò neque dignis; sed indignis, qui pecunijs suppleant quod meritis deest. digni enim vel tantis pecunijs carent, vel certè censent indecorum hac via ad officia irrepere. Secundò, Quod hoc modo magis prouocentur homines ad studium pecuniarum, quibus videntur digni-

24 Quinque in officio consideranda.

25 Quæ ratione possunt vendi, quæ non.

26 Eminentia seu dignitas, & occasio lucrandi, præsent sunt æstimabiles.

27 Plerumque est illicitum.

28 Incommoda subsequuntur.

dignitates parari, quam ad studium probitatis & bonarum disciplinarum; quibus in Repub. vident parum loci relictum: Tertio, Quod ij, qui hæc officia sunt consecuti; non administrant ea prout Reipub. bonum postulat, sed pro suo compendio, vt & pretium recuperent, quod soluerunt, & præterea ditescant. vnde fit vt multa iniuste extorqueant, iustitiam venalem habeant, diuitibus & potentioribus faueant, causas pauperum negligant. Quare merito hæc venditio censenda est pestis Reipub. vnde rectè etiam in Iure prohibetur, collatione 2. titulo, vt Iudices sine quoquo suffragio fiant, cap. 1. vbi præcipitur, vt personæ, quibus conferuntur officia publica, pro ijs nihil soluant; & apud Sinenses omnia officia conferuntur gratis, & non nisi maximè idoneis per longum examen iudicatis.

Petes, Quibus circumstantijs licitè fieri possit hæc venditio?

29 *Conditio- nes requisi- te vt possint vendi.* Respondeo & Dico Tertio, Vt licitè fiat, requiruntur hæc conditiones. Primo, Vt vendens habeat auctoritatem. Secundo, Vt vendantur quantum fieri potest digniori. Tertio, Vt pretio moderato. Quarto, Vt id censeatur necessarium, vel vile bono publico. Quod ad primam atinet, auctoritas vendendi est in solo Principe supremo, vel in Republica libera. Ratio est, quia hæc sunt bona Republicæ; ac proinde eorum dispensatio est supremi Principis, aut ipsius Reipubl. si fit sui iuris. Inferiores itaque, etli Magnates sint, non possunt, nisi vel Principis concessu, vel legitima præscriptione seu vlucapione.

30 *2. conditio. Si venditum inopto.* De secunda conditione ratio est, quia omnia officia dignioribus conferenda sunt. quare si Princeps vendiderit alicui inepto, debet rescindere contractum, & officium venditum resumere; & consequenter pretium pro eo acceptum restituere. Damnum secutum primo loco sarcire tenetur emptor, secundo loco Princeps. Si tamen particularis persona ex facultate Principis vendiderit,

non tenetur restituere pretium, etiamsi emptor ob dignitatem suam priuetur; quia venditor non rescindit contractum; nec priuat emptorem re vendita; sed emptor, qui suæ conditionis conscius ausus fuit emere, sibi imputet si officium admittat. neque venditor tenetur ei de euictione, quia conditionem rei non ignorauit.

De tertia, Nisi pretium sit moderatum, datur occasio emptori vt multa iniquè extorqueat; vt quotidiana docet experientia.

Petes, Vtrum is, qui immodico pretio dedit occasionem emptori præter ius & fas exigendi à subditis, teneatur ad restitutionem damni Reip. si ille non restituerit?


31 *Sarcire damnum secutum.* Respondeo, Non teneri, nisi talis sit, vt ex officio teneretur illud damnum impedire, vt Princeps, Gubernator, Præses, &c. Ratio est, quia illa venditione solum est causa remota illius damni. non enim si tibi aliquid vendidi immodico pretio; & tu vt soluas, furtum committas; ego censeor causa furti. si tamen Princeps vendidit, tenetur illud damnum sarcire, non præcisè quia occasionem dedit, sed quia cum teneretur impedire ex officio, non impediuit.

32 *4. conditio.* Quod ad quartam atinet, nempe hanc venditionem non posse licitè fieri nisi ob Reipubl. necessitatem, vel vtilitatem; probatur, quia hæc officia non sunt bona Principis propria, vt tributa, sed Reipub. communia, quorum administracionem & collationem commisit Principi, communis vtilitatis causa: atqui Reipub. mens non est vt hæc officia vendantur, nisi id videatur expediens bono communi: vt si summa esset conflanda, quæ aliter commodè haberi nequirit. Nec potest alia esse iusta ratio ea vendendi; quia venditio est contra naturalem institutionem talium officiorum. Si tamen Princeps extra hunc casum venderet, non esset venditio irrita; peccaret tamen, præsertim si hoc officium haberet vllam iustitiæ administracionem. Ita Sotus & Caiet. suprâ, & alij DD. passim.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

De Tributis & Vectigalibus.

Constat Dubitationibus II.

1  OTANDVM est, nomine *Tributi* generatim significari id, quod Principi vel Republicæ à priuatis solui solet, ad onera communia sustentanda: quod varijs nominibus appellari consuevit. vt videre est apud Siluest. v. Gabella primò. Duo tamen sunt præcipua nomina Latina huic rei accommodata, *tributum* & *vectigal*, quæ habentur ad Roman. 13. *Reddere*, inquit Apostolus, *omnibus debita, cui tributum*, (*Græcè τὸν*) *tributum*; *cui vectigal*, (*Græcè τὴν*) *vectigal*. vbi *tributum* (*τὸν*) accipitur strictè, vt distinguatur contra *tributum. ctigal*, (*τὴν*) & hoc modo *tributum* nihil est aliud quam pensio, quæ subditis soluenda imponitur iuxta cuiusque facultates, præsertim prædiales, ad Principis dignitatem vel communia impendia sustentanda. Sed passim à Doctõribus accipitur generalius.

Vectigal autem propriè significat, Primò, Pensionem, quæ soluitur pro rebus quæ exportantur vel importantur in ciuitatem vel prouinciam; vt ea quæ soluuntur in portibus & regnorum confinijs. & olim quidem octaua pars debita erat, vt docet Couarruias ad regul. Peccatum, par. 2. §. 5. nu. 1. & pater L. Ex præstatione. 7. C. de vectigalibus. Sed hoc tempore istud vectigal varium est pro diuersitate regnorum, ex quibus deferuntur, vel in quæ importantur.

Secundò, Id, quod soluitur pro transuersione mercium per pontes & flumina, quod solet vocari portorium; quamuis hoc nomen etiam generaliter vsurpetur pro quouis vectigali.

Tertio, Quod soluitur à transeuntibus per aliquam viam seu locum, pro custodia viarum; quod pedagium seu guidagium dici solet.

Quarto, Quod soluitur ex rebus venditis aut permutatis; quod Hispani vocant *Alcauala*, teste Medina